



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio V. Quotuplex sit ens rationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

QVÆSTIO V.

Quotuplex sit ens rationis.

SECTIO I.

Sententia Adversariorum proponitur.

PRIMA sententia est omnium Thomistarum; (qui vno consensu captivantes intellectum in obsequium, non fidei diuinæ sed humanæ, non infallibilis, & certæ; sed incertæ, & fallibilis, ut in more positum est passim apud ipsos, qui non rationum pondere; sed linguarum, & opprobriorum, & contumeliarum digladiatione, ac verberatione, fæmineo more, sententias proprias persuadere nituntur) assensum diuisionem entis rationis cum fundamento formaliter adæquatam, ac sufficientem esse, maximeque diuisionis legibus consonam, in negationem, priuationem, ac relationem hanc opinionem nulla alia ratione præter explicationem, & propriam auctoritatem, veluti alicuius consilij definitioni innitentes probant, eam sequuntur aliqui ex nostra Societate. Patet Suar. in *Metaph. tom. 2. disp. 50. sect. 6.* Rubius hic.

SECTIO II.

Nostra sententia proponitur.

PRIMA conclusio: prædicta diuisio non est recta, primo quia non est formalis: secundo, quia non est adæquata, ac sufficiens, & probatur.

Primo, primum diuisio quæ non datur per membra diuidentia propria, & formaliter talia non est formalis, ac recta: sed prædicta diuisio entis rationis in negationem, priuationem, & relationem est huiusmodi; ergo. Maior patet, quia omnis essentia, & proprietas diuisionis sumitur ex membris diuidentibus, & ideo hæc est mala diuisio; homo, alius equus, alius Petrus, nam equus non est membrum diuidens diuisum, & quia membra diuidentia non sunt recta, ideo diuisio quæ per illa tribuitur non est recta. Minor, in qua est rota difficultas sic probatur.

Priuatio, & negatio, ut sumuntur ab auctoribus sunt à parte rei sine fictione aliqua non sunt recta, & propria, ac formalia membra diuidentia ens rationis, quod est diuisum huius diuisionis; ergo dicta diuisio non datur per propria formalia, & recta membra diuidentia. Maior sic probatur, quia priuatio, ut cæcitas, & negatio, ut negatio brutalitatis in homine sumuntur ab aduersariis ut carentiæ visus, & brutalitatis: sed tales carentiæ ut sic, sunt à parte rei formaliter: ergo priuationes, & negationes, quæ sunt membra diuidentia, ut sumuntur ab aduersariis sunt à parte rei. Maior est evidens. Minor longè, lateque demonstrata manet quæstionibus præcedentibus, & admittitur à Suario, & Rubio.

I. P. Tom. II.

Minor illa sic probatur, quia omnia membra diuidentia recta, propria, & formalia diuisione metaphysica alicuius participant essentialiter naturam diuisi: sed illa, quæ dantur à parte rei eo modo, quo dantur, & sunt sine fictione aliqua non participant essentialiter naturam entis rationis: ergo illa non sunt recta, propria & formalia membra diuidentia entis rationis, quod est diuisum huius diuisionis. Maior sic probatur, quia illa sunt propria &c. membra diuidentia metaphysica, de quibus prædicatur diuisum à quibus abstrahitur ut ad inferiora, ut patet in exemplo animalis, quod rectè diuiditur in hominem, & leonem, & lapis in adamantem, & zaphirum, & Angelus in Gabrielem, & Michaelem propter rationes dictas: sed membra diuidentia à quibus abstrahitur, & ad quæ contrahitur, ut ad inferiora essentialiter diuisum participant essentialiter, ut prædicatum essentialiter, & constitutum essentialiter diuisum, ut videre est in homine respectu animalis, in corpore, & spiritu respectu substantiæ: ergo. Minor illa sic probatur, quia illud, quod datur à parte rei, eo modo quo datur verè, & sine fictione, non est ens fictum, & ens rationis: sed verum à parte rei, & reale, & si carentia, vera & realis carentia, & non carentia rationis, seu ficta: sed quod non ens fictum est, & ens rationis: sed verum reale, seu carentia realis non potest participare essentialiter, & essentialiter constitui ente rationis ut sic: ergo alias essent entia rationis quia constituerentur ente rationis non essent entia rationis, quia sunt à parte rei; unde idem simul esset, & non esset, quod est contralumen natura.

Dices priuationem & negationem esse entia rationis, non formaliter, sed virtualiter.

Contra, quia propria, & formalia & recta diuidentia diuisione metaphysicæ non virtualiter, sed formaliter participant essentiam diuisi, quia omnia diuidentia metaph. debent esse inferiora essentialia diuisi, omnia autem inferiora essentialia participant essentialiter essentiam superioris diuisi, v. g. ens ut sic participatur essentialiter, & formaliter à substantia, & accidenti, & substantia ab Angelo, & homine: sed illud, quod est tantum virtualiter non participat esse formaliter illius, ideo enim Deus non est membrum diuidens animal ut sic, licet virtualiter sit homo, leo &c. quia non est formaliter homo, & ratio est quia diuisum in formali prædicatione dicitur de vnoquoque inferiori formaliter, homo est animal formaliter, & Angelus est formaliter substantia, & sic non dicitur Deus est formaliter animal, quia non est formaliter homo: ergo.

Item falsum est dicere quod priuatio sit virtualiter ens rationis, quia nullam habet virtutem, nec potentiam ad producendum ens rationis: sed quod est huiusmodi non est virtualiter ens rationis, sicut Angelus, nec formaliter, nec virtualiter est homo, quia non est, nec habet essentiam hominis, & non habet virtutem producendi illum, & etiam homo non est virtualiter Angelus propter rationem dictam.

Dicunt esse fundamentum, & fundamentali-ter ens rationis & hoc sufficere.

Contra primo, & redit idem primum argumentum factum nuper, quia ad hoc, ut sit formaliter membrum diuidens debet esse formaliter tale.

Secundo

11 Secundo: ergo hæc esset bona diuisio vniuersalis. Vniuersale diuiditur formaliter in genus, speciem, & Petrum conuenientem cum Paulo, & similem illi, quia Petrus vt sic conueniens est fundamentum vniuersalis, & homo vt sic in materiam primam ad formam Pauli, & in Ioannem, quia materia sic disposita est fundamentum Pauli, quod est absurdum. Item nauis, vt sic diuiditur in carinam, quam hispane *quilla* vocamus, & in hanc, & illam nauim, & domus vt sic, in fundamentum, arcem, & Palatium, quia carina est fundamentum nauis, fundamentum est tale, in quo fundatur domus hæc: sed in omnium sententia quia vnum membrum diuidens est formaliter domus, aliud autem membrum est fundamentum ad illam, & non formaliter domus, non est bona diuisio: ergo similiter si vnum membrum diuidens in hac diuisione est formaliter ens rationis, relatio nimirum rationis & alia sunt, priuatio nimirum, & negatio tantum fundamentum ad ens rationis, necessarium dicendum est esse malam, & non formalem diuisionem, & ratio à priori est, quia diuidentia recta sunt inferiora &c. vt supra diximus. Item, quia si ex eo, quod est fundamentum entis rationis priuatio ponitur vt membrum diuidens, potior erit hæc diuisio: ens rationis diuiditur in priuationem, negationem, & Deum, seu quodcumque absolutum: sed est hæreticum dicere esse ens rationis, & membrum diuidens ens fictum, & rationis vt sic, cum Deus sit verissima, & infinite perfecta entitas: ergo similiter est mala diuisio in priuationem & negationem à paritate rationis. Maior sic probatur, vbi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis: sed solum quia in priuatione datur formalitas essendi, fundamentum entis rationis dicitur tale, & membrum formale diuidens illud: ergo Deus, in quo datur eadem ratio formalis essendi fundamentum fingendi ens rationis, distinctionis, lucis, ignis, corporis, senis columbæ, maris solis, & leonis &c. dabitur necessarium idem effectus formalis essendi, & poterit denominari ens rationis & membrum diuidens ens rationis, vt sic, quod est hæreticum, abhorreturque causas, & pias aures, de quibus æquo iure poterit occini adagium illud, incidit in cillam, cupiens vitare caribdim, & ennesfro Romance Castellano: *huyendo, o saltando de la sartén, dño en brasas*, & si non sequitur in Deo, licet detur illud fundamentum, signum est esse fundamentum entis rationis non esse formalitatem inducendi denominationem membri diuidentis ens rationis, & essendi ens fictum, & rationis.

12 Dices priuationem, & negationem non sumi, vt sunt à parte rei: sed vt concipiuntur à nobis fictè, & sunt in illis entia rationis.

13 Contra, quia hoc modo priuatio, & negatio non sunt priuatio & negatio rationis: sed potius sunt positiua entia rationis; nam cecitatem concipimus per modum nigritæ, obscuræ, & opacæ qualitatis, & tenebras per modum panni nigri, vel pallij muliebris cooperientis totum mundum, vt & ipsi aduersarij fatentur: sed hoc modo sumpta priuatio, & negatio potius sunt positiua entia, qualitas nimirum, & substantia quam negatio, & priuatio, sub prioritate priuationis, & negationis, vt de se patet: ergo improprie diuiditur ens rationis secundum hanc

modum defendendi in priuationem, & negationem, cum qualitas, & substantia, licet in negatione fundentur, improprie denominantur talia sicut ens rationis, distinctionis, senectutis, columbæ &c. quæ fundantur in Deo, non dicuntur Deus, & ratio evidens est, quia quando denominatio fundamenti opponitur immediate rei fundatæ supra illud, non potest talis denominatio applicari rei fundatæ, quia vnicò nomine non appellantur opposita, quis enim calorem, & frigiditatem eodem nomine denominabit: sed ens rationis est fictum, & non verum, & hoc nomen Deus significat rem verissimam actu, & necessario existentem à parte rei; unde ens rationis non potest denominari illo nomine: sed similiter priuatio, & negatio dantur à parte rei, & sunt negatio, & priuatio, & ens rationis fictum supra illas est positiua entitas rationis per modum qualitatis, vel substantiæ, vel dispositionis: sed positiuum & negatiuum opponuntur, ens verum, & fictum similiter: ergo nomine priuationis realis non potest denominari positiua entitas, licet fundetur in illa, alias ens rationis fundatum in Deo esset Deus, & omnis relatio rationis vocaretur absoluta entitas, quia omnis relatio rationis fundatur in absoluto, quod adeo necessarium est hoc, vt nisi desit relatio realis non fingitur relatio rationis: ergo si relatio licet fundetur in absoluto, non potest denominari absoluta, quia relatio quasi opponitur absoluto: ergo à fortiori positiua entitas rationis, non potest denominari negatio, vel priuatio licet fundetur in illa, quia minus opponuntur absolutum, & relatiuum, quam negatiuum & positiuum: ergo.

Sed demus, quod aduersarij intendunt, nihilominus male procedunt, quia sicut non potest diuidi relatio realis in paternitatem, & relationem vniuersalitatis, ne confundamus res, & propter rationes dictas, ita similiter non possumus diuidere ens rationis in relationem rationis, in priuationem, & negationem quæ existunt à parte rei, vel in res significatas nominibus existentium à parte rei sine fictione, quod ex sequentibus oppugnationibus amplius constabit.

Secunda pars conclusionis, quod sit infusiciens ista diuisio, patet.

16 Illa non est sufficiens, & adequata diuisio, quæ non claudit sub se omnia membra diuidentia: sed hæc non claudit: ergo. Maior ex Summis patet. Minor sic probatur, quia sunt alia entia rationis cum fundamento, & maxime necessaria ad scientias, quæ nec sunt priuatio, nec negatio, nec relatio rationis, & non includuntur in hac diuisione: ergo ista diuisio non claudit &c. Antecedens sic probatur, quia tempus imaginarij quod est maxime necessarium, & adeo sua existentia fauet opinioni Thomistarum, vt si tollatur tempus imaginarij funditus ruet sine dubio illa sententia asserens non posse adhuc absoluta potentia Dei reproduci tempus propter specificationem ab hoc tempore imaginario. Item vniuersalis inter animal, & rationale in homine distinctio rationis inter attributa diuina, quæ omnia nec sunt priuatio, nec negatio, nec relatio formalis: ergo dantur alia entia rationis præter illa tria cum fundamento, quæ non includuntur in illa diuisione. Item identitas inter ea, quæ distinguuntur &c. Item spatium imaginarij.

Dices cum Patre Suarez tempus imaginarij

Quæst. V. Quotuplex sit ens rationis. 21

posse reduci ad priuationem, vel negationem latè sumptam, quia tempus illud seclufus dimensionibus negatiuum quid est, nos vero ad illud declarandum ita illud concipimus, & de illo loquimur, ac si effet quid positiuum, & in hoc consistit ens rationis, quod est negatio, vel priuatio.

18 Sed contra, quia quod est ens rationis non reducitur ad reale, tanquam membrum diuidens ens rationis: sed tempus imaginariuum, & identitas seu distinctio sunt entia rationis: ergo non reducuntur ad priuationem realem. v. g. homo, qui est ens reale non reducitur ad ens rationis tanquam membrum diuidens entis realis animalis nimirum, imò medium, vt fit incapax essendi membrum diuidens entis rationis est reduci ad ens reale, & è contra medium vt fit in capax essendi membrum diuidens ens reale, est reduci ad ens rationis.

19 Item, quia positiuum non potest reduci, cui opponitur: sed si deberet reduci deberet esse alteri positiuum, ad cuius similitudinem fit per rationem: sed negatiuum, & priuatiuum opponuntur in modo essendi dispositioni, & qualitati positiuæ: ergo ista positiua entia non debent reduci ad priuationem & negationem: sed potius debent denominari qualitates: ita, vt diuisio entis rationis sit in qualitatem, & relationem rationis.

20 Dices non reduci ad priuationem, vt realis est: sed potius, vt ens rationis est, quod fundatur in priuatione.

21 Contra quia ipse Suarez disput. 54. sect. 5. num. 20. explicans quid sit ens rationis in priuatione fundatum, hæc verba profert. Vnde vtrique priuationi, & negationi commune esse videtur, vt fingatur, aut cogitetur per modum cuiusdam qualitatis efficientis subiectum, v. g. cæcitas apprehenditur tanquam dispositio quædam talis organi, & tenebræ apprehenduntur tanquam dispositio quædam aëris, & loquens de tempore imaginario disp. 55. sect. 9. distinguens illud ab ipatio imaginario ait, vt autem hoc melius intelligatur distinguendum est inter illud interuallum, & illud spatium imaginariuum successiuum, quod mente concipimus, tanquam necessario fluens, & successione temporis necessario consistens. Ecce quomodo priuatio, & negatio, si vt ens rationis sumantur, explicantur per modum cuiusdam qualitatis, & dispositionis permanentis, tempus autem imaginariuum per modum durationis necessario fluentis: sed duratio non reducitur ab qualitate alias duratio realis, quod est prædicamentum quando reduceretur ad prædicamentum qualitatis, quia vnum prædicamentum non reducitur ad aliud: ergo similiter duratio successiua rationis non reducitur ad priuationem, & negationem, quæ sumpta, vt entia rationis, sunt qualitates, præcipue, cum successiuum non debeat reduci ad permanentem, quia oppositè constituitur permanentem, ac successiuum, nam successiuum constat partibus prioribus & posterioribus realiter, permanentem partibus simul, successiuum statim fuit, permanentem durat, perseverat, & permanet, & non statim fuit: ergo oppositè se habet in sua constitutione successiuum, ac permanentem: ergo non reducitur successiuum ad permanentem, unde tempus imaginariuum, non ad priuationem est reducendum, alias, si solum ex

eo quod, vt ait Suarez ablati dimensionibus tempus illud est negatio, ablata essentia etiam relationis, & ablata ordinatione rationis, relatio rationis erit negatio: sed nihilominus relatio rationis est distinctum ens rationis, quia res, vt distinguuntur, non debent sumi ablato aliquo constitutiuo earum, v. g. ablato ab homine animali rationali, non est aliquid, sed nihil, & nihilominus hominem, quando est non reducimus ad negationem: ergo similiter spatium imaginariuum, seu tempus imaginariuum quando positiuè concipiuntur, non debent reduci ad priuationem, quia ablati dimensionibus, siuè permanentibus, hoc est, partibus mollis, siuè successiuis, quæ sunt priores, & posteriores à quibus essentialiter constituitur spatium imaginariuum, & tempus imaginariuum non sunt entia, rationis, & hic dubitamus de illis in quantum sunt entia rationis: ergo falso asseritur ab aduersariis, reducendum esse spatium imaginariuum & tempus imaginariuum ad priuationem, & negationem.

Confirmatur, quia potentia, qua constituitur 22 vniuersale, non est relatio formalis prædicamentalis, (vt latissime à me demonstratur, tract. de vniuersalibus, quæst. Quid sit forma vniuersalis,) sed est relatio transcendentalis, potentia nimirum qua apta est natura ad communicandum se inferioribus, quæ potentia qualitas absoluta est, potentia enim de prædicamento qualitatis est, & qualitas, licet dicat relationem transcendentalem, non extrahitur ab accidenti absoluto, etiam nullum accidens est, quod non dicat relationem essentialem minimum ad subiectum, alias nullum accidens daretur absolutum: sed relatiuum, quod est contra commune pronuntiatum in Philosopherum, & Dialecticorum asserentium, in hoc distingui relationem prædicamentalem à transcendentali, quod vna extrahit ab absoluto, transcendentalis autem minime, ita vt falso vocaret, qui diceret absolute qualitatem esse relationem. Item potentia est res; relatio est modus rationis: sed absolutum non reducitur ad relatiuum, & res ad modum, imò potius modus ad rem: ergo datur ens rationis absolutum, quod nec est relatio, negatio, & probatio. Item, quia nobilitas in Rege, & honor in honorato sunt qualitates absolute, rationis, quæ minime possunt reduci ad relationem rationis, nam licet videantur respicere alios homines, siuè parentes à quibus nobilitas hereditario iure transfusa est in posteros, hoc tamen non conuincit talem nobilitatem esse relationem: sed potius qualitatem esse absolutum rationis, quasi acceptam tamen, vel productam à parentibus in genere causæ efficientis, vt cæteræ qualitates, quæ licet producantur realiter à causis efficientibus, non ideo dicuntur relationes, sed absoluta entia.

Præterea quia identitas rationis, & distinctio 23 rationis non possunt reduci ad priuationem, & negationem, quia identitas, & distinctio non sunt dispositio, nec qualitas: ergo non possunt reduci ad qualitates rationis, quæ sunt negatio, & priuatio.

Dices distinctionem rationis esse reducendam 24 ad relationem rationis.

Sed contra, quia fundamentum rationis distinguitur à relatione rationis fundata in ipsa: 25 sed distinctio rationis est fundamentum relationis rationis, sicut distinctio realis est fundamen-

tum relationis realis : ergo distinctio rationis distinguitur per rationem à relatione rationis, sicut in vestra sententia distinctio realis distinguitur à relatione reali : ergo non est relatio rationis distinctio rationis in vestra sententia, quia illud, quod distinguitur ab aliquo non est illud à quo distinguitur : sed in vestra sententia distinctio non est formaliter relatio : ergo nec reducit ad illam sicut distinctio realis non reducit ad relationem realem, quia distinctio apud aduersarios est absoluta relatio, non distinctio est prius, uti causa, & fundamentum relationis, & prius non reducit ad posterius : ergo.

26 Vltimo sic probatur, quia substantia non reducit ad accidens, & positium non reducit ad negatiuum, imo è contra reductio fit, quia potius imperfectius reducit ad perfectius, quam è contra : sed negatio illa omnium rerum vacuumque, quod reperiatur ante creationem mundi concipiebatur per modum substantiæ rationis : ergo erat ens substantiale rationis, quia eo modo est ens rationis, quo fingitur ut patet de se, quia ex se non habet aliud esse, nisi quod ei tribuit per fictionem ratio : ergo illa substantia rationis non reducit ad relationem, quia relatio est modus accidentalis, & substantia, ut diximus non reducit ad modum accidentalem, nec ad priuationem, quia priuatio, & negatio, vel sumuntur, ut carentiæ à parte rei, & sic non reducit illa substantia rationis ad illam, quia ens rationis non reducit, ut supra diximus, ut sit membrum diuidens ad reale aliquod, nec positium ad negatiuum. Vel sumuntur negatio, & priuatio, ut sunt entia rationis, & sic sunt accidentia qualitatis, & dispositionis nimirum : sed substantia rationis non reducit ad accidens rationis : sed potius è contra, ut substantia realis non reducit ad accidens reale : sed potius è contra : ergo illa substantia nullo modo potest reduci ad illa membra : ergo iam datur aliud : ergo non est adæquata, quod autem cum fundamento concipitur, ut substantia, patet, quia negatio seu vacuum concipitur ut existens, & per se subsistens, non inhaerendo in aliquo, quod est proprium substantiæ & in quo distinguitur ab accidentibus, nam illius negationis non concipitur aliud subiectum, nam illud subiectum, vel erat positium, vel negatiuum ; si negatiuum, de illo alio negatiuo interrogo ; an in se, vel in alio sit ; si in se, & per se : ergo illud negatiuum erit substantia rationis ; si in alio, iterum redibit eadem quaestio, & sic procedetur in infinitum ; si positium non est reale quia tale non fuit : ergo rationis : sed illud positium non erat in alio : sed in se : ergo erat substantia, & erat positium fictum : ergo erat substantia ficta & sic rationis. Maior sic patet, quia de illo alio redit idem argumentum, & sic vel procedetur in infinitum vel dicendum est, illud esse substantiam rationis ; præterea, quia fides docet, non extitisse tale positium : ergo non fingit intellectus, cum certificetur de eius absentia : ergo concipit illud vacuum, ut substantiam rationis, quæ non reducit : ergo.

27 Item Patres antiqui fingeant corpus in Angelis : sed corpus illud erat substantia, qua fingeant corpora subsistentia, uti sunt Angeli, qui non sunt accidentia, & inhaerentia alteri : ergo iam datur substantia rationis, imo nos concipimus Angelos, ut iuuenes aligeros ; unde, ut

corpora, & substantia corporea.

Dicit Suarius esse chimæram.

28 Contra, quia chimæra est cum coniungo duo, 29 quæ video, & cognosco esse incompatibilia, ut quando coniungo hominem cum equo, & leone ex mera mea libertate, imo cum repugnantia ex parte rationis propriæ ; cum autem non coniungo incompatibilia sed loco vnius cognosco aliud, non facio ens rationis chimæricum v. g. facerem chimæram, si Angelum remanendo, ut spiritualem, simul cognoscerem ut corporeum, quia in illa similitudine & coniunctione, ipse intellectus, qui cognoscit, & facit illam coniunctionem, cognoscit repugnantiam, ut in chimæra : sed concipere Angelum loco spiritualis ut corporeum, non coniungendo utrumque non est chimæra, alias relatio quæ concipitur in Deo esset chimæra quia chimæra est, quod id quod est absolutum sit simul relatiuum, cum autem non sic faciat intellectus : sed quod ex se absolutum est concipiat ut relatiuum, & non absolutum, non est chimæra, sicut non est chimæra concipere tenebras ut positivam qualitatem, seu dispositionem aeris, quia non fingit intellectus, nec fingit, ut simul tenebræ essendo tenebræ ; hoc est carentia, seu priuatio, & remanendo in esse priuationis sunt positium ens, seu positiva entitas qualitatis : sed illud, quod à parte rei est priuatio, concipitur ac si non esset priuatio ; sed positiva entitas, & per modum qualitatis ; in quo nulla ratio chimære reperitur ; si autem intellectus tenebras, seu carentiam concipiendo ut priuationem coniungeret aut fingeret esse simul qualitatem positivam, tunc faceret chimæram, quia tunc coniungeret duo incompatibilia ; imo magis repugnantia, seu potius immediatius repugnantia, quam homo, leo, equus &c. positium enim, & negatiuum magis & immediatius opponuntur quam duæ entitates positivæ ; cum autem intellectus non coniungat simul, & fingat, & simul una, & eadem formalitas tenebrarum sit positiva, & priuativa entitas : sed potius quod est priuatio à parte rei, concipit, ac si minime esset talis, imo ac si esset positiva entitas, & per modum qualitatis, ideo non coniungit formaliter incompatibilia ; sed solum vnum loco alterius cognoscit. Sic similiter, si Angelum ut spiritualem, hoc est purum à corpore, & ut corporeum simul cognosceret, tunc faceret chimæram ; cum autem non coniungat hæc incompatibilia : sed solum Angelum, qui spiritualis est, non cognoscant ut spiritualem : sed ut corporeum, cognoscendo vnum loco alterius ; sicut Patres, qui negabant Angelos esse pure spirituales : sed potius esse corporeos affirmabant, nullo modo facit chimæram, quo destruitur fundamentum, & solutio aduersariorum.

Et idem est, si spatium imaginarium, quod infinitum est extra caelum, concipiat ut corpus substantiale, quantum in se subsistens. Nam ut videre est, licet illud spatium imaginarium possit concipi, ut inhaerens per suam extremam, & vltimam partem in caelo, nihilominus per illud profundum quasi infinitum non inhaeret, quia ad hoc, ut inhaereret necesse esset, ut intra illud profundum esset substantia cæli quæ minime est, v. g. ut inhaerere profunditas quantitatis secundum suam profunditatem materiæ primæ, non est

est solum sufficiens, ut attingat extremum superficie meam materiam, sed necesse est, ut mea substantia penetret per profundum illius, quia omne accidens eo modo, quo accidens est, debet inherere: sed quantitas non solum est accidens secundum ultimam superficiem: sed etiam secundum profunditatem: ergo etiam secundum illam debet inherere: sed non potest profundum inherere per solum attingentiam ultimi superficie, nisi sit penetrata profunditas quantitatis per substantiam: ergo si cælum non est per totum profundum spatij imaginarij, alias esset infinite crassum, & profundum, licet illud spatium secundum ultimum sui attingat cælum, non diceretur, vel cogitaretur ut inherens: sed potius ut subsistens: ergo concipitur ut substantia quantitas, & cum maximo fundamento ex parte sui, & ex suo modo essendi independentia à subiecto secundum suam profunditatem, & cum fundamento in rebus: ergo iam cum fundamento in re datur substantia rationis, & qualitas rationis, & relatio rationis: ergo talis diuisio non est adæquata, & sufficiens.

30 Secunda conclusio: ens rationis aliud est negatiuum, aliud est positiuum: quod patet, quia distinctio rationis in sententia P. Suarez fingitur ad similitudinem distinctionis realis: sed distinctio realis in sententia ipsius est negatio identitatis: ergo etiam distinctio rationis est negatio identitatis.

31 In mea sententia carentia indiuiduationis in natura humana, quando abstrahitur & separatur ab illa, est vera carentia per rationem, id est ut vera carentia fingitur, nam cum natura humana erat contracta in indiuiduo, erat facta indiuidua, quia afficiebatur ab indiuiduatione: ergo habebat indiuiduationem, quia effectus ille formalis erat ex existentia indiuiduationis in natura: ergo quando abstrahitur, & separatur ab indiuiduatione cum desinit esse indiuiduata, quæ antea erat indiuiduata, caret indiuiduatione talem effectum causante: ergo datur carentia indiuiduationis in natura humana: ergo datur negatio illius, carentia enim negatio est: sed est carentia in subiecto apto habere indiuiduationem, quo caret: ergo est priuatio.

32 Item animal, quando contrahitur à rationali, componitur cum rationali hominem: ergo inter illa prædicata datur compositio: unde vnio: sed potest abstrahi animal à tali prædicato, ita ut non actu componat: ergo tunc caret illa compositione & vnione actuali: quod patet, quia potest habere illam: ergo in illo datur priuatio: quod autem datur negatio sic patet, quia generalitas dicit negationem identitatis cum specieitate, quia non est specieitas, & vniuersalitas dicit negationem analogiæ, cum dicat vniocationem: sed hæc negationes sunt in subiectis ineptis, cum nullam dicat vniuersalitatem aptitudinem essendi analogum, & nulla datur capacitas in generalitate essendi specieitas: ergo est propria negatio: ergo iam datur ens rationis, quæ propria negatio rationis est: sed ex alio capite datur relatio rationis, & qualitas, seu dispositio rationis fundata in priuatione, & negatione, quæ sunt positiua: ergo recte dicitur ens rationis aliud negatiuum, quatenus comprehendit negationem & priuationem; & aliud positiuum scilicet relatio, & dispositio.

33 Confirmatur, quia eo modo potest fingi ens

rationis ut est ens reale: sed datur ens reale negatiuum, & positiuum: ergo potest dari ens rationis negatiuum, & positiuum: unde recte procedet conclusio.

Positiuum ens rationis diuiditur in absolutum, & respectiuum, ut patet ex relatione rationis, & qualitate ficta supra negationem, & priuationem. Item positiuum absolutum in substantiam, & accidens, ut videre est in iuuentute allata, & aliis, v. g. in senectute Patris, & columba Spiritus Sancti, quæ omnia uti figura, & proprietates substantiæ corporeæ necessario innuunt quantitatem eorundem substantiæ corporeæ, & ipsam substantiam corpoream. Item in spatio imaginario. Accidens autem diuiditur in quantitatem, ut liquet ex exemplis adductis; & in qualitatem, ut patet ex ipsa sententia aduersariorum. Item diuiditur in vbi, & situm, quia Angelus, ut iuuenis conceptus, concipitur, & fingitur ad modum hominis existentis circumscriptiue & quatenus constantis partibus heterogeneis, ad quas sequitur situs necessarius. Item datur duratio, tempus scilicet imaginarium in sententia omnium aduersariorum. Datur etiam habere, quia datur denominatio extrinseca subiectibilitatis, ut patet ex illa quaestione, vbi latè probauimus subiectibilitatem dicere relationem, & denominationem extrinsecam: ergo dantur, &c. alia entia rationis, ut actio & passio, &c. quia non est maior ratio, quare ens rationis fingatur per omnia prædicamenta, & cum fundamento & doctrinaliter, & non fingatur in prædicamento actionis; præcipue, quia ipsa quantitas, relatio, &c. finguntur; ac si emanarent: sed emanatio est vera actio, ut patet ex libris de generatione, & vbi datur actio, datur passio: ergo per omnia prædicamenta datur ens rationis doctrinale cum fundamento.

QVÆSTIO VI.

*Virum per omnem potentiam vitalem
fiat ens rationis.*

SECTIO I.

Sententia Aduersariorum proponitur.

PRIMA sententia asserit ens rationis posse fieri per omnem potentiam vitalem, ut per intellectum, imaginationem, & voluntatem, sic Scotus *distinct.* 45. q. 1. Pater Valius hic, Pater Herize 1. p. & probatur.

Primo, Tunc fit ens rationis ab aliqua potentia: quando illa dat aliquod esse quod obiectum ex se non habet realiter: sed voluntas dat huiusmodi esse suo obiecto: ergo voluntas facit ens rationis. Minor sic probatur. Quia voluntas facit ordinatum ad finem quod ex se non est ordinatum, v. g. quando ordinat pecuniam ad emendum cum tanto valore, ut videre fuit in moneta quam fecit Carolus V. Imperator, ac Rex Hispaniæ ex corio bobino dum belli egestate, penuria argenti præueretur, cum tale corium non esset ad illud ordinatum: sed hoc est dare aliquod esse ordinatum scilicet, quod ex se non habet obiectum